Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

prima secundum quod est sacramentum ecclesie
et sic institucionem habet a lege
scripta sive mosayca secundum quosdam
quia non dum erat veritas
vite facta nec reconciliacio
perfecta institucionem habuit secundum
imperfectam scilicet quantum ad qua-
litatem in determinacione oblacionum
que erat loco confessionis
et satisfaccionis In lege autem
nova ubi veritas est patefacta
et reconciliacio plena insti-
tuta fuit secundum statum perfectionis
et quantum ad formale quod est
absolucio sacerdotalis et quantum
ad materiale quod est lucida et
aperta confessio non solum in
generali incipit vero secundum aliquos
in speciali primum dominus instituit
per se et promulgavit scilicet cla-
vium potestatem Math. 16 et
Joh. 20. Secundum vero institutum
fuit per apostolos vel ut melius
dicam promulgatum quia dominus
apostolos docuit et ipsi a domino
edocti et auctore ab eo accepta
primo eius auctore promulgave-
runt Non enim nobis tradiderunt
nisi quod ipsi a domino Jhesu Christo
acceperunt secundum Bon. Recolli-
gendo ergo predicta de insti-
tucione penitencie breviter dicendum
quod penitencia instituta est quantum
ad actum interiorem a lege nature
et quantum ad actum exteriorem a
lege mosayca que precipiebat pro
peccatis quedam sacrificia sed quo
ad modum determinatum in utroque
a lege nova que precipit satis-
faccionem et confessionem ad arbi-
trium hominis proposicionem faciendam
et facere et ab hac autem volunt hec
quod sit sacramentum et ea remissionis
peccatorum quo ad pe. Aliqui dicunt
quod sacramentum penitencie immediate
institutum fuit a Christo ecclesie secundum
omnes potestates suas Ante enim
Christi passionem instituit hoc
sacramentum quantum ad interiorem con-
tricionem penitentis et operis
satisfaccionem Cum dixit Luc. 5°
Non veni vocare iustos sed
peccatores ad penitenciam Et per alia
verba quibus ad penitenciam invi-
tabat maxime cum dixit Nisi
penitenciam egeritis omnes simul
peribitis Luc. 13. Confessionem
autem implicite in exemplo cum dixit
leprosis Vade et ostende te sacer-
dotibus Math. 8. Absolucionem
autem in ministerio Lazaro restitu-
to dixit solvite eum Joh. 2°.
Sed expresse absolvendi potestatem
non dedit usque post resurreccionem
cum dixit eis Accipite spiritum sanctum
quorum remiseritis peccata etc.
quo vice potestatem iurisdiccionis
super totam ecclesiam promisit se daturum
petro cum dixit ei Math. 16.
Tibi dabo claves regni celorum.